



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De prudentia religiosa, in omni facto. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

vti liberaliter posse concessis, miseræ mentis est. Parco semper est inopia, fidenti totus mundus plenus diuitiarum est. Vide ergo, ne detrimentum temporale inferat tibi nocumentum spirituale; sed deficientibus opibus terrenis, non deficiat fides tua, quinimmo confidas magnificè de Dei prouidentia. Qui promissit cælestia & æterna, non negabit temporalia. Non tamen semper donat pro nostro libitu, ne simus abundantes in sæculo; & minùs idcirco desideremus, quæ sursum sunt in cælo. In curis temporalibus consistenti, vix potest deesse talis imperfectio, quin teneatur sæpe cupiditate rerum; videlicet amore possidendi, aut timore eas amittendi. Vnde opinor, quòd nemo plenariè cognoscit, qualis sit affectus suus, nisi cum res cœperit acquirere temporales, & curas habere exteriores. Sed qui in his occupantur, & tamen amorem creatoris præponunt in corde suo defectuosis creaturis, non tam faciliè ruunt in culpam. Et si se delinquere aliquando in paruo deprehenderint, festinent mundare conscientiam.

§. 7. De præmeditatione circa operanda.

**A**D eruditionem tuam, habe præmeditationem aliquam prudentem circa agenda. Aliqui sunt tardiores, aliqui quodammodo præcipites in factis suis. Tardi sæpe bona omittunt, aut parum operis inchoantes non perficiunt. Viuaciores verò, dum inconsideratè currunt, leuiter impingunt. Vnde in medio semper virtus consistit. Debes igitur seruare mensuram possibilitatis tuæ, & cogitare quod solet dici: Multum facit, qui rem debitè & bene facit.

§. 8. De prudentia religiosa, in omni factis.

**N**ecessarium tibi est habere aliquam prudentiam, sed humilem, religiosam, & verecundam; ne videaris superbus, austerus, & audax; quasi cum auctoritate faciens, vel imperans. Multo melius est, vt obsecrando loquaris quam iubendo ea, quæ oportet fieri. Eris prudens, si cuitas videri prudens. Nam si vis videri prudens, necesse erit, vt hoc alijs foris ostendere velis verbo aut facto. Quod cum feceris, non potest contingere, quin excedas aliquando mensuram prudentiæ tuæ; ita vt dicas magis ad facta tua vel aliorum quam expediat; vel excuses negligentiam tuam plus quàm iustum sit; & per hanc ostentationem, amittas viam veræ prudentiæ, quæ consistit in humilitate maximè.